DE

ATROPHIA HEPATIS ACUTA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. APRILIS MDCCCLIX. 1859

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

DAVID KUHN

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

S. CARO, MED. ET CHIRUR. DR.

B. SACHS, MED. ET CHIRUR. CAND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS ROBERTI LUCAE.

FRATRI

CARISSIMO, OPTIMO, DILECTISSIMO

SIEGFRIEDO KUHN.

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Prooemium.

Quum librum, qui de hepatis morbis inscriptus et ab ill. Frerichs ingeniosissime compositus est, diligenter perlegissem operae pretium esse putavi, nonnulla de acuta hepatis atrophia disserere, quippe qui morbus obscurissimus summa medicorum attentione dignus esse mihi visus sit. Tantum vero abest, ut hunc, quem sum emissurus libellum arti medicae multum profuturum esse putem, ut ad meum ipsius fructum usumque ea tantum colligere in animo sit, quae viri peritissimi docuerunt.

Viris autem cel. Lewald et Cohn, qui in dissertatione componenda libris offerendis benignissime me adjuverunt ex intimo animo gratias ago quam maximas. Abs te vero, lector benevole peto, ut hoc de libello indulgenter et benigne judices et has studiorum meorum primitias esse memineris. Vale.

De atrophia hepatis acuta.

Pathologica anatomia.

Atrophia hepatis acuta in iis morbis obscuris est numeranda de quorum natura quum diversae semper doctorum virorum opiniones exstiterint tamen adhuc rata ac procerto haberi debet. Atrophiam vasis adducentibus non mutatis paucis diebus ortam, qua glandula tam magna tamque sanguinis plena ad dimidiam vel tertiam partem voluminis prioris redigitur in nullo alio morbo eodem modo invenimus. Qui morbus prisco quidem tempore jam observatus esse videtur, quum Hippocrates de icteri formis narret, quae aegrotos celeriter conjunctis etiam symptomatis febrilibus ad lethalem perduxerint exitum. Certis vero quiddam primi Morgagni et Bonnet protulerunt, libris, de acuta hepatis atrophia conscriptis; hominum mentionem faciunt, qui correpti ictero acuto, quem cerebri affectiones convulsiones secutae sunt, brevi exspiraverunt, qua in re illi animum lectoris praecipue ad singulares mutationes observandas telae hepatis convertit.

Sed Rokitanskyo summa gloria debetur, quod anatomiam pathologicam hujus morbi hepatis accurate descripsit. Mutationes hepatis, quae atrophiam acutam sequuntur in corporibus varias reperimus. In iis rebus, quae in omnibus casibus inven-

tae sunt praeter icterum nihil nisi hepatis laesiones conjunctae cum mutationibus lienis numerandae sunt. Omnes aliae anomaliae non semper reperiuntur, absunt interdum, etiamsi symptomata morbi prorsus non alia fuerunt. Hepar igitur putamus ipsam esse morbi officinam ex qua aliae organismi turbationes emanant. Semper hepar aliquanto minutum erat, magnitudinem ejus ad dimidiam ad tertiam partem redactam esse existimaverunt. Circuitus organi quoquoversus minuitur, imprimis vero ad crassitudinem, ut glandula paullatim ad planitiem redeat. Capsula caliginosum et rugosum praebet adspectum, parenchyma fit laxum et flaccidum, ut suum pondus ferre nequeat et complicatum ad columnam vertebralem collabatur. Color, organo secto, iis locis, in quibus morbus longissime processit, quod in lobo sinistro esse solet flavus aut similes Rheo est, vasa sanguinifera hic vacua sunt, formam lobulorum plerumque prorsus non amplius videre possumus. Aliis locis, in quibus momentum prius morbi adest pars vasorum capillarium sanguine referta est, hic et illic et extravasata aut eorum residua mutata in crystalla haematoidini animadvertuntur. In apparatu vasorum hepatis ut in trunco et ramis venae portarum, arteriarum et venarum hepaticarum majores anomaliae non sunt, paullum sanguinis tenuis continent; in venis hepaticis praeter corpuscula sanguinis bene conservata fasciculi crystallorum Tyrosini inventi sunt. Ubi morbus usque ad finem pervenit cellulae hepatis non jam adsunt, earum loco videmus granula fusca et majores pigmenti particulos, adipis guttas et singulas figuras, similes nucleis cellularum, saepe cum Tyrosini acubus et

globulis Leucini permixtas. Iis tantum locis, in quibus morbus in priori momento restitit singulas cellulas plenas adipis aut pigmenti ut saepissime in margine obstuso lobi dextri cognoscimus. Vesica fellea plerumque vacua reperta est, nihil nisi aliquantulum muci cineracei aut liquoris caliginosi lutei râro fusci aut subviridis continebat. Ne in ductibus excretionis quidem in quibus nusquam impedimentum excretionis cognosci potuit, fel erat depositum, membrana eorum mucosa plerumque colore cineraceo, lumen coartatum erat. Praeter hepatis atrophiam in plerisque casibus splen magnopere major, et sanguinis plenus inventus est; inter cadavera viginti tria Illibus organi ratione accuratius habita splenis volumen undevicies auctum erat; cur intumescentia in aliis casibus defuerit certis causis ut crassione capsula aut haemorrhagia profusa radicum venae portae probari potuit. Neque ventriculus, neque tractus intestinalis magnas praebuit structurae mutationes, in membrana mucosa hic et illic ecchymoses reperiebantur, sed graviores substantiae jacturas aut intumescentia glandularum solitariarum aut Peyerianarum conspici non poterant. Contenta tractus intestinalis nihil erant nisi aridae pallidaeque faeces aut massae nigrae pici liquidae similes, quibus integra corpuscula sanguinis non jam opera microscopii demonstrari potuerunt. Sedem vero praecipuam in venae portarum finibus in superficie membranae mucosae ventriculi et intestini habebant, rarius in tela illorum sub membrana serosa intestini inter utrumque mesenterii atque omenti stratum, postremo in tela cellulosa retroperitoniali sub pleura et sub epicardio repertae sunt. Fluida

in cavis corporis serosis deposita saepe sanguine intermixta fuerunt. Rarius sanguis in organorum, velut pulmonum, renum parenchymate infarctus fuit.

Qualem renes in hoc morbo subirent mutationem adhuc parum investigatum est. Frerichs praeter pigmenti copiam quae ictero nascitur, epithelia glandularum granulose degenerata et plerumque in adipis globulos conversa, telam ipsam flaccidam et laxam reperit. Plerumque gravidae mulieres hoc morbo, de quo agitur, implicatae sunt. Num haec renum conversio omnibus in casibus fiat adhuc incertum est. Renes vero morbo semper affici ex urina, quae habitum admodum ab norma differentem praebet ex ureae defectu, quae in sanguine accumulatur ex albuminuria, quae per tempus aliquod observatur, satis elucet. Nervorum centra plerumque laesiones quae sub sensus cadant, praebent nullas. Quibusdam in cadaveribus cerebri substantia apparuit mollior, attamen nunquam ex cerebri laesionibus anatomicis licuit symptomatum nervosorum explicare causas. Quod ad consistentiam cerebri attinet, plurimis in casibus nihil quod normam firmae valetudinis excederet, repertum est, nec nimium, vel parum sanguinis in illo inerat, quamvis mortem graves cerebri muneris turbationes auteiissent.

Aetiologia.

De causis acutae hepatis atrophiae pauca constant. Morbus est in nostro coelo admodum rarus, quare, quae ad indagandam ejus originem conferre possunt parum certa esse haud ita mirum est.

I. Morbus praecipue homines aetate florenti corripit, quamquam nulli aetati parcit, imprimis vero mulieres afficiuntur. Frerichs narrat in libro, quem

de hepatis morbis scripsit inter unum et triginta morbi casus a se observatos in viginti duabus mulieribus et in novem tantum viris apparuisse. Viginti duarum illarum mulierum undecim gravidae erant, quum morbo correptae sunt, quae res graviditatem ad morbi eruptionem aliquid conferre, satis probat. Quare Scanzonius acutam hepatis atrophiam inde nasci, quod hepar utero gravido perpetuo comprimeretur, arbitratus est. Quum vero mulieres hoc morbo plerumque tertio vel sexto rarissime septimo graviditatis mense afficiantur in Scanzonii sententia acquiescere non debemus, quia illo tempore uterus non ita amplificatus est, ut hepar comprimi possit.

Noxae, quae morbum antecedere solent, quaeque ad eum provocandum aliquid conferre videntur imprimis hae sunt.

II. Animi commotiones. Saepe morbus homines plane sanos terrore vel ira vehementi affectos statim corripuit, ut vix dubium esse possit, quin animi motus ejus eruptioni faveant. Aegroti ictero affecti delirare coeperunt et paucis diebus post mortui sunt.

III. Excessus qui fiunt in venere et in baccho, lues syphilitica, abusus medicamentorum, quae hydrargyrum continent, adversa fortuna, quum aliis, tum huic quoque morbo favere dicuntur. Attamen judicari adhuc non potest, utrum illae res causas morbi efficiant, nec ne. De vi quoque, quam haec, vel illa noxa exercet nihil accuratius disseri potest.

IV. Morbum etiam a parentibus proli tradi posse, nonnulli contenderunt observationibus nixi, quod plures eadem familia conjuncti deinceps hoc morbo

affecti sunt. Num igitur locis vis aliqua infausta, e qua morbus proruperit tribuenda sit et qualis illa vis sit, adhuc statuere nequimus.

V. Typhus postremo et ei similes sanguinis decompositiones causae acutae hepatis atrophiae fieri posse dicebantur, quo jure id non videmus. Omnino noxae, quae in rebus externis positae sunt, nullae sunt repertae, quas hunc hepatis morbum efficere certo constet, quare de aetiologia hujus morbi luculentius quidquam proferre hodie non possumus.

Symptomata.

Symptomata, quae acutam hepatis atrophiam sequantur, tum stadio prodromorum indicantur, tum sine illo subito intrant. Plurimis in casibus vehementia symptomata hujus morbi propria gastrocatarrhus antecedit, levi ictero comitatus, qui ex organorum digestione inservientium anomalia explicari solet.

Digestionis perturbatio pressionis sensu, qui in ventriculi regione sedet, appetitu et gustu mutato, fastidio et vomitu manifestatur. Aegroti massas mucosas vel virides vomunt, interdum fluida sanguine intermixta atque etiam fibrini coagula ex ore et ano ejiciunt. Lingua et dentes massa fuliginosa mox obteguntur. Quum abdomen praecipue vero utrumque hypochondrium manu premitur, dolores existere solent, sed saepe desunt. Cutis non raro petecchiis obtegitur. Lienis tumor semper fere adest, etiamsi inveniri non potest. Interdum aegroti se dolores in regione lienali sentire conqueruntur, qui praecipue pressu efficiuntur.

Si morbus subito prorupit, icterus, febris, cephalea, stupor, deliria, sopor, convulsiones, omnia illa

symptomata, quae hujus morbi propria sunt, sua sponte aut noxa aliqua allata prope simul existunt. Morbus intra paucos dies saepe etiam intra duodecim vel viginti quatuor horas ad exitum lethalem perducitur.

Singula igitur symptomata diligentius perlustrantibus nobis ea symptomata, quae ad hepar, ad systema nervorum et vasorum pertinent summi esse momenti videntur. Non raro alia quoque symptomata, quae ad diagnosin statuendam minorem vim habent, cohaerentia, qua omnes corporis partes inter se copulatae sunt, efficiuntur.

A. Symptomata quae ad hepar pertinent.

I. Celerrima hepatis diminutio.

Haec diminutio, quae in nonnullis organi hujus morbis velut in hepatis cirrhosi saepe pluribus mensibus peractis exoritur, hic intra paucos dies adest. Modus quoque diminutionis hujus morbi proprius est, neque ullo alio in morbo invenitur. Hepar enim planius fit, diametrus a margine posteriori ad anteriorem patens minuitur, quare malleo percussorio in tota parte sonus oppressus, attamen non omnino vacuus, sed plus minusve tympaniticus editur. Maxime vero lobus sinister cujus circuitus minor esse solet, hoc in morbo diminuitur ut in epigastrio percussio sonum paullulum vel omnino non oppressum edat.

II. Icterus nunquam adest. Cutis color primum paullulum flavus est, in morbo gliscente obscurior et pallide flavus fieri solet. Lotium satis obscure tinctum pigmentum felleum continet et massam ad

imum vertit, in qua microscopios praeter mucum amorphum epithelia flave tincta ex organis, per quae urina emittitur, interdum etiam ex renibus denique singuli crystalli acus formam praebentes pigmento obtectae conspiciuntur. Interdum in urina albumen inest. Faeces, quae in morbo eduntur, colore non ab norma abhorrere solent et raro tantum pallidae sunt et decolorae.

III. Dolores. Dolores, qui non semper in hepate sedent, sed saepe vehementissimi sunt, una cum symptomatibus cerebralibus exoriri solent, vel haec paullo post sequuntur. Hi dolores cum saepe etiam profundissimo in sopore permaneant, aegrotus in regione hepatis tactus musculos faciei contrahit, gemit, acriter se defendit.

B. Symptomata, quae ad systema nervorum pertinent.

Insignia sunt symptomata nervosa, quae morbum comitantur. Interdum subito una cum ictero morbi initium faciunt, crebrius vero hunc sequuntur. Antilla subito prorumpunt aut alia symptomata velut animi languorem, in quo nulli circumstantium ratio habetur, somnulentiam, sive animi excitationem capitis dolores vertiginem, febrem, frigoris sensus sequuntur. Quae symptomata nervosa tum cerebrum valde depressum, tum valde excitatum indicant.

I. Symptomata, quae depressionem systematis nervosi indicant.

Aegroti summo sopore capti acerrimis etiam incitamentis adhibitis non expergefiunt, vultus stupidus est vel morosus, interdum musculi faciei contrahuntur

dentibus frenditur motus masticatorii, trismus, rigor, tetani similis, qui paullulum temporis permanet. Oculi sunt occlusi, pupillae initio contractae esse solent, postea vero dilatantur et luce vehementi non multum irritantur. Aegroti plerique quieti jacent aut mentis expertes modo dextrorsus, modo sinistrorsus in lecto volvuntur, interdum gemunt et clamant, sordes atque urinam involuntarie emittunt. Accidit vero, ut alvus obstipata et vesica quoque maxime impleta, cathetro depleatur opus est.

II. Symptomata, quae systematis nervorum excitationem indicant.

Aegroti vehementibus capitis doloribus cruciantur, quos deliria violenter statim insequi solent, plerumque tumultuose se gerunt, clamant, circumstantes feriunt, lectum relinquere conantur, difficulter vincuntur, effugere volunt, sibi vel aliis vim inferre student. Ad haec deliria saepissime convulsiones membrorum accedunt.

Interdum deliria in paroxysmorum modum statum soporosum interrumpunt, aut his praeterlapsis coma paullo post insequitur.

C. Symptomata quae ad systema vasorum pertinent.

Semper fere in hoc morbo vasorum quoque systema afficitur. In acuta hepatis atrophia cordis actio valde mutatur. Etiamsi prodromi cum febre juncti praecedunt, una cum ictero arteriarum pulsus ex frequenti rarior fit et manet donec icterum graviora symptomata sequuntur. At postquam symptomata, quae anomalam nervorum centri actionem in-

dicant magis eluxerunt, arteriae frequentius micant, earumque percussuum numerus a quinquaginta vel sexaginta usque ad centum in sexagesima crescit. Simul numerus ictuum modo augetur, modo rursus imminuitur. Interdum centum decem vel centum viginti, vel etiam centum triginta ictus fiunt, paullo post vero octoginta vel nonaginta.

Hoc paucis horis pluries accidere solet, dum etiam magnitudo et durities pulsus mutantur. Sed cerebri paralysi denique intrante ictuum numerus aequaliter increscit atque interdum centum quadraginta vel centum quinquaginta ictus sentiri possunt, pulsus vero parvus, filiformis fit et remittere solet.

Non raro haemorrhagiae quoque simul ex diversis corporis organis ad illa symptomata, quae supra diximus, accedunt et in dimidio casuum numero observatae sunt. Saepissime membrana mucosa gastro intestinalis affecta est. Sanguis evomebatur et inter faeces intermixtus erat. Saepe quoque metrorrhagiae imprimis apud gravidas mulieres acciderunt et plerumque abortum indicaverunt. Semper fere in cadavere aliae quoque haemorrhagiae sunt inventae, quae in vita cognosci non poterant, praecipue in venae portarum finibus velut extravasata inter mesenterii strata in omento, in membrana serosa intestinorum, infarctus lienis haemorrhagici. Rarius vero ecchymoses sub pleura vel sub pericardio in membrana pharyngis et bronchiarum mucosa infarctus pulmonum haemorrhagici aderant. Respiratoriae thoracis atque pulmonum actiones morbi initio ab norma non discrepant, mechanismus, quo respiratio efficitur, morbo non mutatur, numerus motuum re-

spiratorium ad pulsus ictuum numerum ratam rationem habet, vel paullulum tantum ab eo abhorret. Postea tantum, quum cordis actio ab norma fieri coepit motus etiam respiratorii multis in casibus a statu bonae valetudinis abscedere solent. Respiratio tum cum gemitu vel stertore conjuncta est inspirationem longam anhelitu comitatum expiratio celeriter insequitur. Laesiones organorum respirationi inservientium quae horum munera impedirent, quin rite procederunt nullae in cadaveribus inventae sunt. Rarius tantum praeter alias sanguinis extravasationes infarctus hoemoptoici, qui dicuntur et sub pleura ecchymoses adfuerunt. Cutis calor semper fere aliquanto auctus et corpus praecipue sub finem vitae sudore copioso obtectum fuit.

Diagnosis.

Acutam hepatis atrophiam si quis facile cognosci posse putet, in maximo errore versatur. Alii morbi praecipue typhus ictero comitatus febres biliosae variae, pyaemia saepissime pro illa habita sunt, nec nisi cautissime symptomatibus deliberatis tales errores evitabimus. Typhus morbus ex evolutionis modo perspicitur, ex roseolae ex anthemate, ex catarrho bronchiali, ex diarrhoea postremo ex delirii singulari genere. Febres biliosae typo plus minusve remittente et frigoris impetu saepius redeunte pyaemia frigoris sensu et loco unde infectio sanguinis exoritur significari solent. Primo vel prodromorum stadio morbus nunquam cognosci potuit. Sed in levissimis quoque icteri casibus ad pulsus qualitatem et ad cerebri munus imprimis vero ad

hepatis statum necesse est animum advertamus, quia ex insignibus symptomatibus in illis partibus minans periculum satis certo praesagire possumus. Itaque ad diagnosin bene instituendam hepatis status summi momenti est. Si vero ipsi dolores vehementes in regione hepatis diagnosin adjuvant, multo magis respicienda est voluminis ejus diminutio rapide progrediens, donec postremo sonus quidam tympaniticus intestino allatiis auribus perspicitur. Ubi diagnosi hos symptomate caruerit semper dubia erit.

Prope eandem vim ad morbum bene cognoscendum urina habet. In nullo enim alio morbo tanta leucini et tyrosini multitudo cum materiis singularibus, quae extrahuntur, urea vero et calcaria phosphorica paullatim usque ad defectum diminuta adhuc in urina reperta sunt.

Quod autem observationi clinicae summi momenti esse debet, urina in frigido servata, massam deprimit, cujus color ex viridi et flavo mixtus est, quamque ab omnibus aliis praecipitatis valde differre quum ipse obtutus tum perscrutatio microscopica docebat. Commemoratione id quoque dignum videtur, quod interdum aliquantulum albuminis in lotio inventum est.

Reliqua symptomata eo majorem vim habent, quo frequentius accidunt. Varias morbi descriptiones et casus litteris traditos diligentius perlegentibus nobis nequaquam dubium esse poterit, quin errores diagnostici saepissime sint facti. Signum vero morbi quod si adest, errorem fieri non sinit, diminutio hepatis celerrime progrediens et lotium mutatum.

Decursus atque exitus.

Morbi decursus ab illo tempore, quo symptomata nervosa exoriuntur, tam rapidus est, ut plurimi aegroti jam intra diem tertium nonnulli primo morbi die abeant. Contra prodromorum stadium non tam raro per duas vel tres hebdomades extenditur. Constat vero ex febrili vasorum systematis reactione, ex malo digestionis organorum statu, ex habitu totius corporis mutato et ictero aegrotum invadente. Semper fere exitus morbi lethalis fuit. Quamobrem quum mors semper secuta sit, paucae illae observationes, quibus sanatio traditur, valde dubiae atque incertae apparent, praesertim quum eo tempore institutae sint, quo pauca modo de illo morbo cognita erant et morbi descriptio accurate facta omnino nulla erat, qua morbus diagnosci potuisset.

Prognosis.

Prognosis in atrophia hepatis acuta plane videtur esse perniciosa. Is morbus, quum tanta hepatis destructio sequitur, etiam tum quem organi partem tantum occupavit, ita sanari non potest, ut ne minima quidem vestigia ejus in organo, in quo habitabat, remaneant. Quae quum anatomia pathologica adhuc non reperta sint nisi experimenti viam, qua sola verum indagare possumus, prorsus reliquimus, morbum sanari posse omnino negare debemus. Certe quidem tunc tantum spes erit sanationis, quum hepar non omni ex parte morbo affectum est. Sin vero totum organon laborabat atque extinguitur, is tantum de servanda aegroti vita cogitabit, qui hepatis, quod maximas in corporis nutritione partes agat, munus

ignorat. Citantur quidem casus, quorum exitus secundus fuisse dicitur, et orientem morbum et ortum sese extinxisse medici quidam gloriantur. Sed non omnia morbi symptomata, imprimis, quae ad systema nervorum pertinent, narrantur. Itaque diagnosis ab illis acta omni fundamento caret. Icterum enim febri, vomitu, paucis, quae ad totum organismum pertinent, symptomatibus comitatum, pro exoriente acuta hepatis atrophia habere, sane magnae est temeritatis. Sed etiam si nihil ad imaginem ejus morbi efficiendam deest, diagnosis facile in errorem incidere potest. Qui eo magis nobis suspicandus est, quod in illis ipsis casibus, qui sanati esse dicuntur, hepatis diminutio, quae ad morbum cognoscendum summi momenti est, non commemorata est. Donec igitur anatomia, vel pathologia aliquid rectius inveniet, acutam hepatis atrophiam sanari posse plane nobis est negandum.

Therapia.

Nulla curandi methodus experientia medicorum approbata est; curare vero acutam hepatis atrophiam adhuc nemini contigit. In curando stadio prodromorum eadem, quae in ictero catarrhali, principia valent. Gastrica et alia symptomata pro origine et causa curanda sunt, tantumque si symptomata apparent, quae majorem hepatis morbum indicant acrioris methodi curandi locus erit. Principio morbi hyperaemia et exsudationes diffusae tollendae sunt. Postquam enim maxima organi pars atrophia correpta est, nulla jam salus a medicamentis sperari debet. Ut igitur hyperaemia solvatur, drastica praecipue medicamenta commendantur, quibus hepar ma-

xime nimia sanguinis copia liberatur, ut, Senna, Aloë, Colocynthides. Horum tantum datur aegroto, quantum sufficit, ut defaecationes copiosae fiant. Si dolores in hepate vehementes sunt, hirudines, cucurbitae, aquae frigidae, cataplasmata in hepatis regione bene adhibentur, apud aegrotos robustos venaesectio fieri potest. Si sanguinis intoxicati symptomata augentur, et haemorrhagiae existunt, acida mineralia et praeterea, ut sordes copiosiores fiant, purgantia ordinanda sunt. Contra vomitum pillulae glaciales, Mag. Bismuth., parvae doses Extr. nuc. vom. aqu. adhibenda sunt. Si sanguis vomitur et melaena adest, glacies sumitur ad usum internum et externum, Alumen, Acid. tannic. alia adstringentia medicamenta. Quum nervorum actio deprimi coepta est, methodo curandi excitante uti debemus, ut aquae frigidae infusionibus praecipue in caput, sinapismis emplastris vesicatoriis, olei crotonis inunctionibus, ad usum internum, vino, aethere, moscho, camphora amoniaci praeparatis. Sed si febris et excitationis symptomata praevaleut, cataplasmata in caput frigida, frigidae capitis lotiones, morphium, chloroformic. inhalationes, cortex chinae, sanguinis depleliones, acida mineralia commendata sunt. Attamen in progressum morbum nullum eorum, qnae supra dixi, medicamentorum, quidquam juvasse confiteri debemus.

Morborum historiae.

Exemplum primum.

Selinsky, faber murarius, triginta sex annos natus, decimo tertio mensis Novembris die, anno

MDCCCLVIII. in nosocomio „Omnium Sanctorum“ receptus et quarto decimo die ejus mensis mortuus est.

Uxor, eum jam multos per annos ex doloribus occipitis laborasse et aure dextra non audivisse narravit. Quare per tempus aliquod in clinico chirurgico unguento tartari stibiati usus est. Observasse se dicit se alcoole sumpto, capitis doloribus liberatum fuisse et melius audivisse. Porro ex ventriculi doloribus, vomitu, doloribus in regione sacrali, praecipue vero diarrhoea laborasse fertur. Nonnullis annis ante choleram perpessus erat. Duo deviginti mensibus ante cum uxore divortium fecerat. Potator fuisse dicitur.

Quum recipiebatur emplastrum terebinthinae in regione hepatis gestabat. Cutis paullulum icterice tincta apparebat. Lotium aliquid pigmenti fellei continebat, albumen non continebat. Arteriarum pulsus septuaginta habet ictus, respiratio quieta, cordis hepatisque sonus normales fuerunt. Lienis tumor plane perspici potuit. Vomitus non aderat, sed ventriculi regio valde inflata. Alvus fuit obstipata. Vesica urinae plena erat. Aegrotus raro tuntum recte respondet idem bis repetere solet, memoria vehementer lapsum esse se ostendit. Paralysis nulla. Pupilla normaliter agit. Die praeterlabente icterus crescit, deliria intrant. Aegrotus vinculis se liberare studet. Quare opium adhibetur ejusque intervallo duarum horarum singula grana.

Die quarto decimo color ictericus augetur, aegrotus deliriis vacat et quiete dormit, pulsus nonaginta sex, respirationes viginti quatuor. Pupilla coarctata est, facies non admodum tincta, petechia nulla, sordes

nullae. Volumen hepatis paullo minus est, quam heri inveniebatur. Ejus margines sentiuntur, superficies dura et rugosa. Lienis tumor aliquanto auctus. Urina cathetro emittitur, satis copiosa est, vehementer olet, muterias extractivas continet, cathetrum nigrum reddit, albumine vacat, pigmentum felleum habet, cystini et tyrosini magnam vim continet. Mens non rediit, alvus obstructa manebat, pupillae coarctatae, itaque mors secuta.

Obductio.

Calvaria normalis, cutis faciei, brachia valde icterice tincta, minus crura. Nusquam ecchymoses vel majora sanguinis extravasata. Dura mater flave colorata. In sinu longitudinali aliquid sanguinis solide coagulati, superficies interna durae matris et ipsa paullum flava, pia mater normalem sanguinis copiam habuit. In basi cranii circiter tres drachmae humoris limpidi et flavi. Altera carotis cerebralis atheromatose degenerata. Arachnoidea prope sinus tantam paullo crassior facta. Cerebri substantia normalem sanguinis copiam et consistentiam habet, ventriculi cerebri aliaeque partes sanae. Sanguis ex vena jugulari sumptus fluidus est, obscurus in vena jugulari sinistra, coagula satis solida. In dextro curdis atrio et ventriculo magna copia sanguinis obscuri parum coagulati. In cavo pleurae sinistro paullum fluidi sanguinolenti et serosi in aorta descendenti thoracica satis sanguinis solide coagulati. Membrana epiglottidis mucosa flava, tracheae vero rubore suffusa et alba spuma obtecta. Glandula thyreoidea et glandulae bronchiales normales. Pulmo sinister omnibus in locis multas ecchymoses milio

vel piso magnitudine similes, in parte posteriori multo majores ostendit, quae in parenchyma penetrant et in planitie dissecta obscure fuscae et aëre vacuae apparent. Ceterum pulmo sanguine completus oedematose infiltratus est, rami afferentes arteriae pulmonalis sanguinem sordidum, nigrum parum coagulatum centinet. Lobi dextri superior et medius valde emphysematosi sunt, inferior, sicut sinister locos apoplecticos continet. Pericardium in superficie posteriori singulas ecchymoses ostendit. Valvula tricuspidalis flava, alias normalis sub ipsa valvula aortica extravasatum, unam lineam in substantiam muscularem penetrans et in endocardio situm, musculatura, laxa pallide rubra. Lien, laxus et flaccidus quatuor, et dimidium pollicem longus est, latus duos pollices et tres partes, crassus unum pollicem. Capsula rugosa, parenchyma livide rubrum, molle. Hepar magnum aliquid angulosum, lobus sinister in transversum sex et dimidium pollicem, a margine posteriori usque ad anteriorem quatuor et dimidium pollicem dexter sex et dimidium pollicem. Margines acuti, in lobo sinistro animadvertitur margo hepatis cinctus ora acuta et in telam cellulosam conversa. Superficies hic quoque paullum aspera. In superficie convexa utriusque lobi flavi loci apparent circumvelati, tela magis rubra. Hi partim sat magni partim minores colore flavo sunt, oramque pallide flavam habent. In lobo convexo invenitur locus circumscriptus ruber, unum pollicem longus, dimidium latus, dimidium pollicem in parenchyma penetrans, forma triquetra. Hujus loci vas centrale thrombum nigrum ostendit parenchyma hunc circumdans flavam fellis stasin oculis

intuentis praebet. In latere concavo similes loci flavi apparent. Circa lobulum Spigelii parva ecchymosis livide rubra. Tela cellulosa adipem continens circa vesicam felleam oedematose infiltratum. Parenchyma hepatis totius oedemate affectum apparet. In vesica fellea plus uncia dimidia est obscuri humoris, huic color est mixtus ex viridi et fusco. Lumen arteriae hepaticae normaliter amplum et liberum, item truncus venae portarum. Cujus prope ramificationes puncta fusca apparent circumdata flavis locis. Radices venae portarum sanguine carent. Membrana intestini serosa pallida et putredine initium capiente livida. Membrana ventriculi mucosa sordide cinerea. Saccus coecus pallidus, pylorus lividus nusquam ecchymosis. Pancreas normale. Membrana coeci mucosa faeces subvirides continet, pallida est, renes, normali magnitudine, sanguine carent, superficies levis, capsula facile solvitur, urina albumine vacat, acida est. Lien pendet 0,13 Kilogrammata, hepar, 1,9.

Exemplum alterum.

Emil Grebner unum et viginti annos natus die secundo mensis Novembris anni MDCCCLVIII. in nosocomio. Omnium Sanctorum receptus ibique sexto mensis Novembris die mortuus est. Aegrotus, qui mercaturam fecerat tribus mensibus ante ictero correptus erat, qui per longum tempus manebat. Appetitus ciborum perpetuo aberat. Sub hos dies aegrotus saepe vomebat, sed nunquam sanguis inter contenta intermixtus erat. In nosocomio receptus, aegrotus praecipue se omnibus viribus destitutum

esse, appetitu carere sitique vexari conquerebatur, febri jactatur, paullulum flavus erat. Quinto mensis Novembris die icterus aliquanto gliscebat. Multae haemorrhagiae nigrae sub epidermi apparuerunt. Hora prima promeridiana aegrotus sanguinem evomuit, constantem ex fluido, cui erat color sordide niger. Deinde sensim collapsus est, sed mentis compos manebat praecipue doloribus in ventriculo et in capite sedentibus excruciabatur. Alvi obstipatio manebat. Noctu delirare coepit et mentis expers factus est. Sexto mensis Novembris die mane coma intravit. Aegrotus mente plane orbatus jacebat, clara voce appellatus non respondebat, magis magisque collapsus est. Tempore ante meridiano obiit.

Obductio.

Dura mater icterice tincta cerebri substantia mollis atque pallida fuit. Sub pia matre sugillationes passim disseminatae repertae sunt. In pleura et in pericardio multae fuerunt ecchymoses, pulmones et cor nihil abnormum ostenderunt. In pericardio paullulum seri, in endocardio multa extravasata. Membrana oesophagi et ductuum aëriferorum mucosa pallida fuit, sub nigra massa obtecta. Hepar adipose degeneratum solidum, flavum, passim ecchymosibus tectum et icterice tinctum. Vesica fellea paullum tantum fellis viscidi continebat, ejus membrana serosa ecchymosibus tecta, ductus fellei liberi fuerunt. In porta hepatis nonnullae glandulae lymphaticae intumefactae sitae erant. Vena porteram ejusque rami in hepate siti coagulis carebant. Ventriculus nigris massis impletus erat. In intestino tenui san-

guis, in crasso faeces flave coloratae inerant. In mesenterio nonnullae sugillationes et multae ecchymoses. Renes adipose degenerati, icterice tincti capsula magna facile removeri potuit. Lotium fellis satis continebat, albumine carebat. In musculis abdominis nonnulla parva extravasata.

VITA.

Natus sum David Kuhn, fidei veteri addictus Katscheriae, oppido Silesiae superioris, die XXVIII. mensis Jul. anno hujus saeculi XXXIII, patre Leopold, quem jam ante octo annos valde lugeo dira morte mihi ereptum, matre Henriette, e gente Rosenzweig, quam utinam mihi Deus per longissimum tempus incolumen servet.

Primis litterarum elementis in schola patriae imbutus, Leobsitii Gymnasium regium catholicum, quod directore Dr. Kruhl adhuc eximie floret, adii et per sex annos frequentavi. Inde vero, patre meo mortuo, rerum necessitate descedere coactus in Gymnasium Ratiboriense receptus sum, ubi maturitatis testimonio instructus, h. s. LV hanc almam litterarum universitatem Viadrinam petii et ab ill. Braniss illo tempore fasces academicos tenente, civium academicorum numero adscriptus apud ill. nunc beat. Henschel tum gratiosi medicorum ordinis Decanum maxime spectabilem rite nomen professus sum.

Per quadriennium disserentes audivi viros Illustrissimos, Celeberrimos, Experientissimos: Barkow, Benedict, Betschler, B. Cohn, F. Cohn, Frerichs, Goeppert, beat. Gravenhorst, Grosser, beat. Henschel, Klose, Loewig, Middeldorpf, beat. Nega, Reichert, Roemer, Rühle.

In exercitationibus anatomicis, ill. Barkow, in clinico et policlinico obstetricio illust. Betschler, in clinico et policlinico medico ill. Frerichs, in clinico et policlinico chirurgico ophtalmiatrico ill. Middeldorpf, duces mihi fuerunt benevolentissimi atque excellentissimi.

In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt: Exp. D. D. Cohn, Freund, Joseph, Langer, Ressel, Stark, Valentiner, Weidner.

Quibus omnibus viris ill. cell. exper. ex intimo animo gratias ago quam maximas.

Tentaminibus vero philosophico et medico atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione rite defensa, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I. Quae est vox: Cessante causa, cessat effectus, apud medicos non valet.

II. Ad curandam perinaei rupturam statim instituenda sutura.

III. Ascites, quae vena portarum suppressa efficitur, punctione tolli nequit.